

Asconius, an ancient commentator on the speeches of Cicero, describes the chance encounter between two rival politicians and gang leaders of the Late Republic, T. Annius Milo and P. Clodius.	Asconius, un commentateur antique des discours de Cicéron, décrit une rencontre fortuite de deux politiciens et chefs de bande rivaux de la République Tardive, T. Annius Milo et P. Clodius.
--	---

Miloni et Clodio summae erant inimicitiae... ac saepe inter se Milo et Clodius cum suis factionibus Romae depugnauerant: et erant uterque audacia pares, sed Milo pro melioribus partibus stabat. Praeterea in eundem annum consulatum Milo, Clodius praeturam petebat, quam debilem futuram consule Milone intellegebat...

A.d. xiii Kal. Febr.... Milo Lanuvium, ex quo erat municipio et ubi tum erat dictator, profectus est ad flaminem prodendum postera die. Occurrit ei circa horam nonam Clodius paulo ultra Bovillas, rediens ab Aricia, prope eum locum in quo Bonae Deae sacellum est; erat autem allocutus decuriones Aricinorum. Vehebatur Clodius equo; servi xxx fere expediti, ut illo tempore mos erat iter facientibus, gladiis cincti sequebantur. Erant cum Clodio praeterea tres comites eius, ex quibus eques Romanus unus C. Causinius Schola, duo de plebe noti homines, P. Pomponius, C. Clodius. Milo raeda vehebatur cum uxore Fausta, filia L. Sullae dictatoris, et M. Fufio familiari suo. Sequebatur eos magnum servorum agmen, inter quos gladiatores quoque erant, ex quibus duo noti Eudamus et Birria. Ii in ultimo agmine tardius euntes cum servis P. Clodi rixam commiserunt. Ad quem tumultum cum respexisset Clodius minitabundus, umerum eius Birria rumpia traiecit. Inde cum orta esset pugna, plures Miloniani accurrerunt. Clodius vulneratus in tabernam proximam in Bovillano delatus est. Milo ut cognovit vulneratum Clodium, cum sibi periculosius illud etiam vivo eo futurum intellegeret, occiso autem magnum solacium esset habiturus, etiam si subeunda esset poena, exturbari taberna iussit... Atque ita Clodius latens extractus est multisque vulneribus confectus. Cadaver eius in via relictum, quia servi Clodi aut occisi erant aut graviter saucii latebant, Sex. Teidius senator, qui forte ex rure in urbem revertebatur, sustulit et lectica sua Roman ferri iussit; ipse rursus eodem unde erat egressus se recepit.

(Asc., *Pro Milone* 30-32C)

Vocabulary on other side

Vocabulaire sur l'autre page

Vocabulary/Vocabulaire

Jan. 20	a.d. xiii Kal. Febr.	20. Jan.
territory of Bovillae	Bovillanum, -i	territoire de Bovillae
city councilor	decurio, -onis	conseiller municipal
drag out	exturbo, -are	extraire, déloger
gang	factiones, -um	bande
priest	flamen, -inis	prêtre
sedan chair	lectica, -ae	chaise à porteur
threatening	minitabundus, -i	menaçant
praetorship	praetura, -ae	préture
appoint	prodo, -ere	désigner
carriage	raeda, -ae	voiture
brawl	rixa, -ae	rixe
spear	rumpia, -ae	lance
shrine	sacellum, -i	sanctuaire
inn	taberna, -ae	auberge
pierce	traicio, -ere	transpercer